

cotta induto delata inter Ceroferos cotta pariter indutos; sequentur viri Religiosi bini incedentes, qui in solemnitate Corporis Christi, monasticis cappis depositis, post communionem Celebrantis sument non in choro sed in alio convenienti loco superpelliceum cereosque accensos gestabunt. In processionibus vero, quae fiunt feria V. in Coena Dom. et feria VI. Parasceve, quia hae intra Ecclesiam peraguntur, cum cappis monasticis procedant. Post digniores Religiosos succedent duo Thuriferarii ibidem cum cottis, qui thuribula cum incenso fumigantia lente ducent ante Celebrantem, facie non dorso ad Sacramentum semiversa in incessu.

Tandem adveniet Celebrans pluviali ac velo humerali albo amictus, deferens SSimum inter Ministros s. vestibus sed sine manipulo indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum Celebrante psalmos submissa voce recitabunt.

Supra Celebrantem SSimum portantem deferatur omnino baldachinum, quaternis saltem hastis instructum, quae a totidem Religiosis superpelliceo indutis in festo Corp. Chr. eleventur. Feria autem VI. in Parasceve deferri poterit baldachinum a Religiosis sine cotta, qua die Celebrans non sumet pluviale, Ministri autem Celebrantis, cum non utantur planetis plicatis, tum solemnibus illius diei Officio tum processioni cum superpelliceo assistenti.

Cerei extinguuntur postquam reconditum fuerit SSimum et in fer. VI. in Parasceve, postquam fuerit a Celebrante consumptum, nec cessabit campanarum sonitus, ubi ab Ecclesia non prohibetur, nisi post s. actionem absolutam. Quodsi ad hujusmodi supplicationes convocentur Confratres alicujus Sodalitii, hi sacco induti designari poterunt ad deferendum baldachinum,

supplendo vices Religiosorum alia munia obeuntium. In iis autem Coenobiiis seu religiosis familiis, in quibus parva Monachorum manus sit, *Assistentes Celebrantis* poterunt *incedere cum superpelliceo*, sed *nunquam fas est, ut omittatur baldachinum* super deferendum, ut supra, vel a Monachis vel a Confratribus.

n. 4130 die 15. Sept. 1742.

Cf.: *Processio Regular.*

63) Solemnis et publica.

Solemnes processiones esse intelligendas, quae fiunt solemniter cum SS. Sacramento vel quando SS. Sacramentum pro quacunque causa publica vel privata defertur in processione, et quae fiunt in festo s. Marci et pro Rogationibus et in die Purificationis B. V. M. et in dominica Palmarum; caeteras vero de Rosario, de Carmine etc. non esse solemnnes nisi in propriis Ecclesiis, ubi a principio fuerunt institutae. n. 330 die 18. Nov. 1606.

Processiones publicas esse: SS. Corp. Chr., Litaniarum majorum, Rogationum, ac quascunque alias consuetas vel quae pro bono, causa et honore publico ab Episcopis inducuntur. In reliquis S. C. Concilii consulendam esse. n. 2139 die 2. Decbr. 1661.

Cf.: *Processio general.*

64) Spiritus Sancti a Patre et Filio.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Benedicti XIV. §. 29).

65) Subdiaconus.

Vd.: *Subdiaconus; Cruciferarius.*

66) Tempus.

Vd.: *Parasceve* (process., decr. diei 22. Mart. 1596, n. 951); *Process.* (plures eodem die, hora); *Processio SS. Corp. Chr.* (duae etc.).

67) Terminatio.

Regulares s. Francisci Vianae tenentur in Ecclesia parochiali expectare et non discedere, donec terminatae sint functiones ecclesiasticae processionum. n. 2273 ad 4 die 24. Maii 1664.

Regulares accedentes ad publicas processiones tenentur associare Capitulum nedum in accessu, quo dirigitur processio, verum etiam in suo recessu ad Metropolitanam, in qua revertitur, non obstante contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 3118 die 20. Julii 1686; n. 3179 ad 2 die 22. Jan. 1689 cum append: *Et Episcopus cogat Regulares parere decretis.*

Ad dubium: An Regulares teneantur ad Ecclesiam matricem reassociare ss. Sacramentum ibique permanere usque ad benedictionem?

S. C. resp.: Teneri.

Die 10. Mart. 1685.

Vd.: *Processio ss. Corporis Christi* (terminatio); *Process.* (regress.)

68) Transitus per aliam paroch.

Vd.: *Processio fun.* (Via per aliam paroch.); *Processio extra paroch.*

Ad dubium: An liceat parochi occasione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per paroch. Cathedr. cum stola et Cruce erecta et simili modo redire ad suam paroch., vel potius debeat in Cathedrali erigere et deponere Crucem et stolam?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Die 28. Apr. 1703 in *Sutrina*.

69) Translatio.

Vd.: *Processio* (mutatio, indict. Ep. decr. n. 3201).

Quamvis processiones solitae privatae, quae fiunt a parochis in parochia et a Capitulo in Cathedrali, fiant

sine licentia Episcopi, adhuc tamen, si transferantur, exigitur Episcopi approbatio. S. C. R. in Hispalen. 3. Sept. 1595 et 21. Jul. 1696 et in Asten. 31. Jan. ejusdem anni.

70) Via.

Vd.: *Processio ss. Corp. Chr.* (via); *Processio funebr.* (via); *Processio int.* vel extra claustr. decr. 3. Nov. 1613 etc. t. II. p. 778); *Processio* (transitus etc.; extra paroch.); *Processio* (ornatus viae).

71) In Visitatione.

Vd.: *Process.* (ad Epis. nov. etc. et p. 845 decr. 9. Dec. 1662.)

PROCURATOR CAPITULI.

(Absentia.)

Ad dubium: An procurator Capituli Cath. civitatis Acerarum possit abesse a servitio chori ex causa sui officii per quinque menses juxta praescripta in statutis ipsius Ecclesiae Cathedralis?

S. C. C. resp.: Negative sed tantum abesse posse pro tempore necessario pro suo officio explendo.

Die 23. Aug. 1727.

PROCURATOR GENER.

(Praecedentia.)

Vd.: *Sedes in capella pont.*

Quum constat procuratorem general. ss. minorum observ. in capella pontificia ante procuratorem gener. minor. convent. sedisse, censuit ss. R. C.: dictum procuratorem in hac quasi possessione sedendi manutenendum esse. n. 67 die 26. Nov. 1593.

PROFANATIO.

Vd.: *Pollutio.*

1) Coemeterii.

a) Modus.

Profanata Ecclesia polluitur etiam Coemeterium ei contiguum; secus si remotum fuerit ab eadem; cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles.*

inibi (scilicet in Ecclesiis) causa per laicos criminalis maxima agitur; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena." Non violatur autem Ecclesia, si idem Judex aut quisvis alius super ipsius Ecclesiae tectum vel ex ejusdem parietibus hominem suspendat, quia in tali casu non intra sed extra Ecclesiam contingit homicidium. Sic post Sylvestr. et Navarr. *Mar. Alter.* d. cap. unic. de consecration. Eccles. in 6. vers.: Sed quid; *Fagundez.* in quinque Ecclesiae praecepta, praecept. 1. lib. 3. cap. 14. sub n. 9. et praecept. 2. lib. 14. cap. 4. n. 17., *Barbosa* de offic. et potestat. Episcoporum. par. 2. allegat. 28. n. 25. et lib. 2. Juris univers. Eccles. cap. 4. n. 18. Si quis extra Ecclesiam mortale vulnus recipiat et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra Ecclesiam, non violatur per hoc Ecclesia, quia tunc non homicidium sed sola mors contingit in Ecclesia; econtra vero si quis intra Ecclesiam vulnus mortale recipiat et postea moriatur extra ipsam, tunc Ecclesia efficitur polluta, quia juxta jura n. 2. citata requiritur et sufficit, ut vulnus lethale seu tethalis percussio, a qua ipsum homicidium denominatur, contingat et fiat intra ipsam Ecclesiam, quamvis deinde ipsa mors per accidens extra Ecclesiam sequatur. Glossa communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis humani; *Navarr.* in Manual. cap. 17. n. 256., *Fagundez* d. praecept. 1. lib. 3. cap. 14. n. 9., *Barbosa* lib. 2. juris Eccles. univers. cap. 4. n. 20. et de Officio et potest. Episcop. pars. 2. allegat. 28. n. 23. Si quis existens intra Ecclesiam occidit jaculo hominem existentem extra ipsam, non violatur per hoc Ecclesia, cum in tali casu sit verum dicere, quod homicidium non sit intra Ecclesiam patratum, licet intra eandem initium sum-

perit. Secus vero econtra, si quis existens extra Ecclesiam, occidat jaculo hominem existentem intra ipsam, quia jam tunc verificatur homicidium patratum voluntarie et injuriose intra Ecclesiam. *Navarr.* l. c. n. 256., *Fagundez* l. c. cap. 14. n. 11., *Ugolin.* 29. de potest. Episcop. 29. §. 1. vers.: Quarto non polluitur, *Barbosa* dict. alleg. n. 26. et dict. cap. 4. n. 20.

Nec valet objicere, quod sicuti ex novissima Constitutione Benedicti XIII. incipiente: *Ex quo*, non gaudent Immunitate ecclesiastica „qui stantes in Ecclesia vel Coemeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium“, ita a pari sit censenda polluta Ecclesia per tale homicidium. Non valet, inquam, quia quoad privilegium Immunitatis attenditur spes, animus et fiducia, qua quis delinquit, ut ab Ecclesia defendatur et sic evadat poenam crimini condignam; id quod verificatur proprie in illo, qui, cum sit intra Ecclesiam, occidit alium existentem extra eandem: et ideo fuit statutum in dicta Constitutione Benedicti XIII., non gaudere Immunitate ecclesiastica, sicuti jam ab Abbate in c. ult. de Immunitate ecclesiast. et ab aliis sustinebatur. Quo autem ad violationem Ecclesiae seu ut polluta dicatur Ecclesia, requiritur, ut homicidium sit voluntarie et injuriose patratum in Ecclesia, arg. c.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consecrat. cap.: Proposuit 4., cap.: Si Ecclesia 10. de consecr. Eccles. et cap.: Si Ecclesiam unic. eod. tit. in 6. Existens autem intra Ecclesiam, si occidat hominem existentem extra ipsam, non patrat homicidium intra Ecclesiam; ideoque per tale homicidium non censetur polluta seu profanata Ecclesia; nec in sacris Canonibus et Apost. Constitutionibus reperitur usque adhuc aliter determinatum, sicuti expresse reperitur determinatum in dict. Constitutione

Bened. XIII., quod tales homicidae non gaudeant Immunitate Ecclesiae et consequenter, cum simus in poenalibus et odiosis, non debet fieri extensio ultra expressa in Jure, juxta reg. 15. Juris in 6. et reg. 49. eod. in 6. et sic tenet *Barbosa* de Offic. et potest. Ep. d. alleg. 28. n. 27. et 28. Ecclesia violatur, ita ut reconciliatione indigeat, si quis in ipsa pro defensione Fidei homicidium et ita Martyrium intra Ecclesiam patiat; quia Jura sub n. 24. et iterum sub n. 41. citata indistincte loquuntur et sceleratius est justum et sanctum occidere quam injustum; cap.: Si non licet 9. caus. 23. qu. 5. Quamvis enim per Martyris mortem, quatenus est passio et habet rationem Martyrii, non polluitur sed potius consecratur Ecclesia; cap.: Quamvis dist. 21.; cap.: Fundamenta 17. de elect. in 6. et cap.: Gloriosus unic. de Reliquiis et veneratione Sanctorum eod. in 6., polluitur tamen per ipsum homicidium seu Martyrium, quatenus consideratur ut injuriosa actio ex parte occidentis, cum ut talis sit revera sacrilegium et injuriosum homicidium; sic Glossa communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis, ubi adducit sequentem versum:

*Actio displicuit, passio grata fuit. Tertius casus, quo polluitur Ecclesia, est quando humanum semen in Ecclesia criminoze, voluntarie et notorie est effusum, sive sit hominis, sive mulieris, sive haeretici aut infidelis, sive etiam per mollitiam aut adultarium vel sodomiam aut bestialitatem, textu expresso in cap.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consecr. ibi: „Cujuscumque seminis effusione polluta fuerit“: et cap.: Si Ecclesiam, unic. de consecr. Eccles. in 6. ibi: „Si Ecclesiam seminis effusione pollui contingat“; et sic communis Doctorum cum *Barbosa* dict.*

allegat. 28. n. 42. et dict. cap. 4. n. 22. Hic nota, quod non violat Ecclesiam effusio seminis facta in somnis. Glossa communiter recepta in cit. cap.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consecrat. verb.: semine. Nec violatur Ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum foeminarum decidens. *Barbosa* cum aliis dict. allegat. 28. n. 43. Nec violatur Ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie factam supra tectum Ecclesiae vel subtus Ecclesiam etiam in aliqua caverna, aut aliqua cella vel Choro, Sacristia, Campanili, Tribuna aut Confessionario extra Ecclesiae corpus, quia in his et similibus dicitur extra Ecclesiam contigisse: ut cum plurimis ibi citatis docet *Barbosa* dict. allegat. 28. n. 45.

Violatur tamen Ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa Ecclesia habeatur extra necessitatem; quia licet copula conjugalis de se sit licita, est tamen illicita propter loci sacri circumstantiam, cui fit injuria; arg. cap.: Accusatio 14. caus. 2. q. 7., cap.: ut in Domibus 1. de immunit. Ecclesiar., et cap.: decet Domum Domini 2. eod. tit. in 6. Et facit a pari illud dictum de Judice suspendente reum intra Ecclesiam, quo casu quamvis poena mortis sit erimini condigna et ideo per se licita, propter tamen loci sacri circumstantiam redditur illicita et injuriosa et ideo polluta censetur Ecclesia; arg. cit. cap.: Decet Domum Domini 2. de immunit. Eccles. in 6.: „Si autem copula conjugalis habeatur in Ecclesia in casu necessitatis, quia v. gr. conjuges causa belli vel ex alia causa diu cohabitare debent in Ecclesia, propter quod adest periculum incontinentiae, tunc ad ipsum vitandum est licita copula conjugalis etiam in Ecclesia, si aliter extra ipsam haberi non possit.“ Sic *Sylvester* verb.: consecr. 2. quaest. 5., *Covarruv* de spon-

sal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3., *Richard* in 4. distinct. 32. art. 3. quaest. 1., *Lessius* de *Justitia* lib. 5. cap. 3. dub. 12. n. 85., *Pirhing* lib. 3. decretal. tit. 40. n. 13., *Reiffenstuel* ibid. n. 22. et cum pluribus aliis *Barbosa* dict. allegat. 28. n. 48.

*Quartus casus, quo polluitur Ecclesia, est quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, scilicet publice denunciatus aut notorius Clerici percussor aut infidelis; de excommunicato stat textus expressus in cap.: Sacris 12. de Sepulturis, et in cap.: Consulisti 7. de consecratione. Eccles. ibi: „Coemeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicatione Ecclesiarum fieri consuevit“; de infideli tenet communis cum *Barbosa* in cap.: Ecclesiam 27. distinct. 1. de consecrat. et patet clare ex citato cap.: Ecclesiam, in qua paganus 27., et cap.: Ecclesiam, qua mortuorum cadavera 28. distinct. 1. de consecrat. Hinc nota, quod Ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, etiamsi talis esset infans, ut tenet communis Doctorum cum *Pasqual.* quaest. 582. Immo probabiliter polluitur etiam per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium, quia talis infans est infidelis saltem negative; sic tenet *Glossa*, *Hostiens.*, *Tabiena*, *Armillia*, *Angel. Rodriq.*, *Piasec.*, *Suarez*, *Avila*, *Azor.*, *Fagundez*, *Reginaldus*, *Laiman*, *Coninch*, *Castropal.*, *Lessius*, *Dicastill.*, *Amicus*, uterque *Lugo*, *Quarti*, *Delbene* et alii, quos citat *Pasqualig.* quaest. 583. et etiam sic tenet *Pirhing.* lib. 3. Decretal. tit. 40. n. 14., *Reiffenstuel* ibid. n. 21. Nisi tamen in utero matris defunctus cum matre sepeliatur, quia tunc non censeretur polluta Ecclesia, ex quo partus antequam edatur mulieris portio sit vel viscerum;*

l. 1. ff. de ventre inspiciendo, *Pirhing* l. c. n. 14., *Reiffenstuel* l. c. n. 21., *Azorius*, *Layman* et alii passim. Sunt tamen plures alii, ut *Paludan.*, *Sayr.*, *Ugolin.*, *Pax Jordan.*, *Bordon.*, *Alan.*, *Passerin.* et alii, qui sustinent per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium non pollui Ecclesiam, quia infantes non baptizati censentur tales, quales sunt parentes et Jura odiosa intelligi debent de illo, qui positive est infidelis saltem professione parentum; quae revera opinio non caret sua probabilitate.

Si in Ecclesia fuerint sepulti haeretici non denunciati nominatim, etiamsi alias notorii, non censetur violata Ecclesia nec indiget reconciliatio, quia cum non teneamur eos devitare in vita, nisi nominatim denunciati sint, ita neque eos tenemur evitare post mortem. *Layman* in *Theolog. moral.* lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 4. n. 9., *Jordan.* de re Sacra t. 1. l. 5. tit. 11. de bened. Coemeter. n. 127., *Pirhing* l. c. n. 13., *Reiffenstuel* l. c. n. 21., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 9. n. 16., *la Croix* lib. 6. par. 2. n. 286., *Navarr.*, *Gobat.* et alii. Sic nec etiam violatur Ecclesia per sepulturam ejus, qui in duello decessit, nisi denunciatus fuerit, quia licet duellantes ultra excommunicationem priventur etiam ecclesiastica sepultura, ut in *Concil. Trident.* sess. 25. de reformat. cap. 19. et in *Constit. Clement. VIII.* incipiente: *Illius vices*, ex tali tamen prohibitione praecise non sequitur, ut Ecclesia polluatur si contra fiat: Vide tamen ad rem, quae in *Benedict. XIV.* *Constit.* incip.: *Detestabilem* *) noviter

*) Post emanationem citatae Bullae: *Detestabilem* etc. falsa evidenter deprehenditur auctoris sententia, qua sustinet non violari Ecclesiam per sepulturam ejus, qui duello decessit, nisi is denunciatus fuerit. Quam in rem adducere satis est verba *Constit. Detestabilem*, quae sunt:

statuuntur quoad decessos in duello, quam Constitutionem habes in tom. 2. verb.: duellum art. 2.; sicuti etiam non polluitur per sepulturam aliorum, quibus est interdicta ecclesiastica sepultura, ut sunt Usuarii, Interdicti et alii similes, nam in poenalibus et odiosis non est facienda extensio nisi in Jure habeatur; leg. apud *Labeonem* §.: Si communem, ff. De Jurejur. l. 1.: Si quis servum ff. de serv. corrupt. cap.: Is qui 18.: de sentent. excommunic. in 6. cap.: *Odia* 25. et cap.: In poenis 46. de *Regul. Juris* in 6. et sic tenent *Jordan.* dict. tract. de re sacr. tom. 1. lib. 5. tit. n. 126., *Layman.*, *Pirhing*, *Reiffenstuel*, *Antonell.* l. c.; *Engel* lib. 3. decretal. tit. 40. n. 12., *Zoesius* ibid. n. 11., *Navarr.*, *Suarez* et alii.

Omnes recensiti casus, in quibus fuit dictum profanari seu pollui Ecclesiam, requiritur, quod sint publici seu publice innotuerint; argum. cap.: *Significasti* 6. de adulter., ubi vis ponitur in publica detectione, ibi: *Publice*, et tenet *Gloss.* communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consecrat. *Eccles.* in 6. verb.: *Pollui*; *Barbos.* de *Offic.* et potest. *Episcop.* alleg. 28. n. 37., *Pirhing* l. 3. tit. 40. n. 12., *Reiffen-*

„Praeterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturae sacrae privationem a s. Trid. Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus incurrendam perpetuo fore etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatum indictum fuerit ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit ac a peccatis et censuris absolutionem sustinuerit sublatata Episcopis etc.“

Ex quibus verbis satis liquide constat, quod si quem ex duello defunctum in Ecclesia sepeliri contigerit, etiam ante sententiam judicis, pollueretur Ecclesia; nam is esset excommunicatus non toleratus ac per hujus sepulturam Ecclesia violatur, ut docet *Antoine tract. de Eucharist.* c. 3. q. 8. n. 4.

stuel ibid. n. 22., *Suarez* disp. 31. sect. 4. v. 2. et alii passim. Et ratio est, quia Ecclesia non judicat de internis; arg. cap.: *Tua* 34. de *Simonia*, et cap.: *Erubescant* 11. dist. 32. ibi: „De manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus et Judex est.“ Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore debet Ecclesia haberi pro polluta et necessario debet reconciliari, quia ex tunc bona fama Ecclesiae perditur et aestimatio communis contraria subintrat. *Sylvester* verb.: *Consecratio* 2. q. 5. §.: *Tertius casus est*; *Azor.* part. 2. l. 9. cap. 5. q. 2., *Pyrrhing* et *Reiffenstuel* l. c. et alii passim.

e) Occulta vel publica.

Vd.: *Profanatio Eccles. (Modi)*

f) Reconciliatio.

Vd.: *Reconcil. Eccles.*

3) Eccles. et Coemeterii.

Vd.: *Profanatio Coemeterii.*

PROFESSIO FIDEI.

a) Ab Abbatibus et Dignitatibus etc. emittenda.

Vd.: *Prof. fidei* (a parochis etc.; Canon. et Dignit.)

Circa fidei professionem emittendam a promovendis tam ad Ecclesias Cathedrales quam ad dignitates regulares.

Fidei professio debet emitti in manibus praelati, ad quem inquisitio servato ordine pertinet, a quo si promovendus longe distet, poterit idem praelatus subdelegare receptionem dictae professionis ordinario, cui promovendus vicinior erit.

Praelatus recipiet professionem fidei a promovendo praesente notario pub-

in 6., ibi: „Si Ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius Coemeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, unde antequam re conciliatum fuerit non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si remotum fuerit ab eadem.“ Polluto autem Coemeterio, quamvis Ecclesiae contiguo, non polluitur Ecclesia, cit. cap.: *Si Ecclesiam*, ibi: „Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto Coemeterio, quamvis Ecclesiae contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.“ Quando sunt plura Coemeteria, polluto uno Coemeterio, alii illi contiguum non polluitur, licet per portam de uno in aliud detur ingressus, citat. cap.: *Si Ecclesia*, ibi: „Non unum sed plura Coemeteria esse noscuntur, quae quamvis sibi cohaerentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.“

b) Reconciliatio.

Vd.: *Reconciliatio Coemet.*

2) Ecclesiae.

a) Adestne?

Amalphanâ.

(Conc. Tr. c. 4. 13. sess. 24. De ref.)

Vd.: *Profan. Eccles.* (modi)

Contentione exorta inter Clericos Lucam Ferenium et Blasium Venosium in Collegiata Ecclesia s. Mariae ad Mare oppidi majori, cum vulnus sanguine manans excepisset jam d. Ferenius, statim Ecclesia tamquam polluta habita fuit. Divina enim cessarunt, augustissimum Eucharistiae sacramentum sacraque olea translata fuerunt ac animarum cura, quae ibi exerce-

batur, parcho s. Petri commissa fuit auctoritate ordinaria. Jam vero reconciliata memorata Ecclesia, ejus Praepositus et Canonici plures super hujusmodi facto instaurant controversias adversus promotorem fiscalem curiae Archiepiscopalis; quandoquidem autumant, Ecclesiam praedictam nequaquam pollutione foederatam extitisse, cum e vulnere cruor vix apparuerit neque in terram effluerit, proindeque contendunt nec Sacramenta transferri neque curam animarum alteri parcho committi potuisse, qui parochialia emolumenta sibi vindicavit. Praeterea conqueruntur super exactione summae ducatorum quinque, quae numerata fuit vicario generali aliisque ministris causa saepedictae reconciliationis, ut perhibetur, pro expensis viatici. Contra insurgit jam d. promotor fiscalis, qui super pollutione Ecclesiae non esse ambigendum autumat; tum quia sat est, quod vulnus cruentum in Ecclesia sit illatum, cum etiam quia jam reconciliata fuit ad enixas ipsorum Canoniorum, qui nunc contradicunt, preces. Caeterum translationem Sacramentorum jussam fuisse asserit, interim quo disceptatum fuit, an d. Ecclesia consecrata esset vel tantum benedicta, cumque nullum desuper documentum exhiberi potuerit, rite Vicarius generalis tanquam specialiter delegatus processit, cui alimenta et expensae viatici jure subministratae fuerunt: at si quid super hujusmodi exactione Canonici praetendant, contra eundem vicarium aliosve ministros, ut inquit, procedere debent. Postremo idem promotor fiscalis subtexit, semel iterumque post reconciliationem Archiepiscopum demandasse Sacramentorum restitutionem; nihilominus cum praepositus, cui animarum cura incumbere asseritur, in Urbe moram ducat, nullo relicto Sacerdote ab ordinario approbato, qui Sacramenta ministret, jure

recteque parochus s. Petri curae onus adhuc exercet; neque exaudiendum praepositum subdit, qui autumat sibi tantum inesse habitualement curam, actuale vero Capitulo, adeout morari nequeat Sacramentorum restitutio, quo usque ad propria ipse revertatur. Hinc super multiplici controversia expectatur sapiens EE. VV. judicium partibus monitis sub dubiis:

I. An constet de pollutione Ecclesiae Collegiatae s. Mariae ad Mare? et quatenus affirmative;

II. An Vicarius Archiepiscopi valuerit exigere ab illius Capitulo ducatos quinque aliasque expensas? et quatenus negative;

III. An teneatur ad illorum restitutionem?

IV. An translatio ss. Eucharistiae Sacramenti et olei s. ab Ecclesia Collegiata ad parochialem s. Petri demandata per Archiepiscopum sustineatur?

V. An parochus Ecclesiae s. Petri valuerit eadem Sacramenta subministrare parochianis dictae Ecclesiae, illorum infantes baptizare, matrimoniis interesse ac assistere tumulationi cadaverum in eadem Ecclesia Collegiata cum stola sine consensu proprii parochi? et quatenus negative;

VI. An et in quibus poenis incidit et teneatur restituere emolumenta parochialia?

S. C. C. resp.: Esse restituenda Sacramenta et deputari sine praejudicio jurium partium Oeconomum pro cura animarum unum ex Canonicis per Archiepiscopum auctoritate s. Congregationis cum assignatione congruae solvendae a quo de jure, et proponatur dubium, cui incumbat onus curae.

Die 9. Junii 1714.

b) Effectus.

Effectus violationis et profanationis seu pollutionis Ecclesiae sunt tres.

Primus est, quod Ecclesia polluta non potest consecrari antequam reconcilietur et pollutionis causa amoveatur; cap.: *Eccles.* 27. et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. 1. de consecrat.; cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles. Barbos. lib. 2. Juris Eccles. univers. cap. 4. n. 32.

Secundus est, quod in Ecclesia polluta vel in ejus Coemeterio contiguo non potest sepeliri ullus defunctus, donec reconcilietur; textu expresso in cap.: *Si Ecclesiam* unic. de consecrat. Eccles. in 6., ibi: „Unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri.“

Tertius effectus est, quod in Ecclesia polluta non possunt nec Divina Officia nec Missae celebrari; cap.: *Sicut* 11., cap.: *Nullus* 14., cap.: *Ecclesiam* 27. et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. de consecrat., cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles.

c) Missae Celebratio et Adm. Sacram. in Eccl. prof.

Si quis in Ecclesia publice profanata Missam celebrat aut alia peragit Divina Officia seu Defunctorum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen aut suspensus non efficitur, quia nulla poena invenitur expressa in Jure contra eos, qui talia agant in Ecclesia polluta, antequam reconcilietur; adeoque non inducenda; arg. cap.: *Is qui* 18. de sentent. excommunic. in 6. etc.; *Odia* 15. de Regul. Juris eodem in 6.; *Henriq.* lib. 9. de Missa cap. 27. §. 7. et l. 13. de excomm. cap.: *Si* §. 5.; *Sylvester* verb.: consecratio q. 9.; *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. alleg. 28. n. 54.; *Abbas* in cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles. n. 4.; *Engel* lib. 3. decretal. tit. 40. n. 22.; *Ugolín.* de Irregular. lib. 1. cap. 1. n. 2. et alii plures apud Barbosam l. c. et lib. 2. Juris Eccles.

univers. cap. 4. n. 33.; *Fagn.* lib. 5. decretal. in cap.: *Tuarum* 11. de privileg. n. 4. Si Sacerdos sciat solum ex sacramentali Confessione Ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione; arg. cap.: *Significasti* 6. de adulter. et aliis juribus cit. sub n. 54. et sic tenent communiter Doctores cum *Sayr.* de Censuris lib. 5. cap. 16. n. 10. et *Barbosa* cit. alleg. 28. n. 41. Quando in actu celebrationis Missae violatur publice Ecclesia, si id contigerit ante Canonem, est statim a Sacrificio cessandum; si post Canonem, est proseguendum: sic expresse Rubrica Missalis tit. de defectibus in Ministerio ipso occurrentibus, ibi: „Si Sacerdote celebrante violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa, si post Canonem, non dimittatur.“

d) Modi.

Ecclesia pluribus casibus et modis polluitur, ita ut indigeat reconciliatione.

Primus est, quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam et graviter peccaminosam actionem effunditur: cap.: *Ecclesiis* 20. dist. 1. de consecr.; cap.: *Posuisti* 4.; cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecratione Ecclesiae, et cap.: *unic. eod. tit. in 6.* Hic tamen nota, quod ad hoc, ut Ecclesia polluat, sanguis effusus debet esse humanus, si enim fuerit cujusvis alterius animalis irrationalis, non erit per hoc Ecclesia polluta. Glossa in cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecr. in 6. verb.: Sanguinis humani* et cum communi aliorum *Barb.* de Offic. et potest. Episc. part. 2. alleg. 20. n. 31. Ecclesia tamen efficitur polluta, sive proprius sive alienus effundatur sanguis; si enim quis suae mentis com-

pos ex ira vel desperatione seipsum occidat vel se cum sanguinis effusione percutiat, Ecclesia erit polluta et reconciliatione indigebit, ut expresse dicit *Glossa cit. verb.: Sanguinis humani in additione*, ibi: „Si vir sanae mentis seipsum occidat in Ecclesia vel vulneret irato animo ad sanguinis effusionem, ex quo publicum est, reconciliabitur“; et tenet *Mar. Alter.* in dict. cap.: *Si Ecclesiam, vers.: quae-ritur tertio; Sayrus* de Censur. cap. 16. n. 4. in fine, *Barbosa* l. c. n. 13., alique passim; arg. cap.: *Contigit* 36. de sect. excom. Sanguinis effusio ut polluat Ecclesiam debet esse in quantitate notabili, hoc enim importat verbum effusio, nempe sanguinis abundantiam et copiosum fluxum, ut notat *Glossa* in cap.: *Cum illorum* 33. de sentent. excom. verb.: *effusionem sanguinis, et Glos. in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consec. Eccles. in 6. verb.: nota primo; ubi sic expresse dicit: „Item requiritur, quod illa effusio Sanguinis fuerit facta in magna abundantia, immo si solum essent effusae duae vel tres guttae, non diceretur Ecclesia polluta.“* Et tanto minus diceretur polluta, si nullus efflueret sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, ut ejus carnes contererentur et ossa confringerentur, quia Jura sub n. 24. citata requirunt sanguinis effusionem, et cum sint poenalia et odiosa, non debent extendi juxta regulam 15. Juris in 6. ibi: „Odia restringi et favores convenit ampliari“; et reg. 49. eod. in 6. ibi: „In poenis benignior est interpretatio facienda.“

Immo sanguinis effusio quamvis sit copiosa non sufficit ut Ecclesia dicatur polluta, nisi sit causata per percussione graviter peccaminosam. Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis effundatur, non ideo erit polluta Ecclesia et hoc patet cum pueri

se invicem in Ecclesia percutiunt vel Pater aut magister causa correctionis modum leviter excedendo Filium aut discipulum ita verberat, ut sanguis copiose e naribus fluat; per has enim et similes percussiones leviter peccaminosas non violatur Ecclesia, cum per istas non censeatur inferri gravis injuria. *Navar.* in Manual. cap. 27. n. 82., *Marc. Anton.* variar. resolut. l. 1. resolut. 13. casu 6., *Grass.* lib. 2. cap. 48. n. 25., *Barbosa* l. c. n. 36. et alii passim. Si autem sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc pollui et violari Ecclesiam resolvit et judicatum refert *Marc. Anton.* variar. resolution. lib. 1. resolution. 112. casu 6., *Gambatur.* de casibus reservat. cap. 15. casu 6. n. 9., *Barbosa* l. c. n. 36. Effusio sanguinis ad hoc, ut inducat violationem Ecclesiae, debet esse plene voluntaria, unde si ab amente furioso, vere ebrio, dormiente vel aliquo casu fortuito, ut a cadente lapide et hujusmodi, causaretur et fieret in Ecclesia sanguinis humani effusio, Ecclesia non pollueretur, ut tenet communis Doctorum cum *Glossa* in citato cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis humani et Barbosa* l. c. a n. 3. ad 14. In omnibus enim supradictis deficit voluntarium, eo ipso quod nesciant quid faciant, cap.: *Illud* 2. caus. 15. quaest. 1. Debet insuper talis effusio sanguinis ad hoc, ut violet Ecclesiam, esse injuriosa. Unde si quis voluntarie quidem, sed non injuriose, ex quo ob justam verb. grat. sui defensionem servato moderamine inculpatae tutelae in Ecclesia Aggressoris sanguinem effundat, ex hoc non erit polluta Ecclesia, ut expresse dicit *Gloss.* communiter recepta in cit. cap.: *Si Ecclesiam, verb.: casus, ibi: „Requiritur quod sit effusio sanguinis humani injuriosa, immo si me defendendo ef-*

fundam sanguinem in Ecclesiam, non propter hoc dicitur Ecclesia polluta.“ Ut Ecclesia violetur requiritur ulterius, quod effusio sanguinis copiosi cause-tur in Ecclesia. Hinc non polluitur Ecclesia, quando quis extra illam in platea, v. gr. in via, in turri aut sub-tus in spelunca Ecclesiae percussus fugit ad Ecclesiam et ibi copiosum sanguinem effundat. Sic expresse habet *Gloss.* communiter recepta in cit. cap.: *Si Ecclesiam, verb.: sanguinis humani, ibi: „Et si extra Ecclesiam vulneratus ad Ecclesiam fugiat et ibi sanguinem spargat, non reconciliatur Ecclesia; secus e contrario.“*

Secundus casus, quo polluitur et profanatur Ecclesia, est quando in eo committitur voluntarium et injuriosum homicidium sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur, veluti si aliquis suspendatur aut aliter citra sanguinis effusionem violenter et cum injuria occidatur; cap.: *Si motum* 19. dist. 1. de consecrat., cap.: *Proposuisti* 3. de consecratione et est communis Doctorum. Hic nota, quod ad hoc, ut per homicidium polluat Ecclesia, debet tale homicidium esse voluntarium et injuriosum, quia ob casuale homicidium vel factum sine alterius injuria ob justam sui defensionem, cum moderamine inculpatae tutelae non violatur Ecclesia, sicuti dictum est de sanguinis effusione. Sic cum *Glossa* in cit. cap.: *Si Eccles. unic. de consecrat. in 6.* Doctores communiter. Violatur tamen Ecclesia per mortem re illatam in ipsa ex sententia Judicis, quia licet taliter suspensus dignus fieret tali supplicio, fit tamen illi injuria, cum jus habeat ne in tali loco hujusmodi vim patiatur; et insuper fit etiam injuria loco sacro et ipsi Deo, in cujus honorem est Ecclesia specialiter dicata et consecrata; cap.: *Decet Domum Domini* 2. de im-munitate Ecclesiae in 6. ibi: „Nulla